

A armis, Asia partem usq; ad Syriam bello subegit. Post huius obitum propin-
quior genere in regno succedebat, iuste imperans, ita ut Amazones magno
imperio & gloria potirentur. Multis post seculis uulgata earum per omnem
orbem uirtute, Herculi Semeles ac Iouis filio ab Eurystheo mandatum fuisse
tradunt, ut Hippolyta Amazonis baltheo ad se ferret. Qua ex re illato A-
mazonibus bello, acieq; profligato earum exercitu, uictam Hippolytam cum
baltheo cepit: quo praelio Amazonum est regnum deletum. Barbaras dein-
de proximas gentes, contempto Amazonum nomine, preteritarum iniuria-
rum memores, adeo gentem earum continuo bello contriuisse aiunt, ut ip-
sorum sit nomen et genus extinctum. Paulo post hanc Herculis expeditionem,
Troiani belli tempore, Penthesileam reginam Martis filiam tradunt suarū
cæde perterritam, cumq; Amazonum reliquijs ex patria profugā, Troianis au-
xilium affuisse, ac post Hectoris obitum multis præclaris belli facinoribus edi-
tis, ab Achille interceptam. Hanc postremam Amazonum præcipua uirtute
extitisse, reliquiasq; deinceps eius gentis paulatim defecisse ferūt. Ea causa est
cur apud posteros cum robur earum uirtusq; refertur, fabularum antiquarū
loco accipiantur. Nobis posteaquā res Asia quæ ad Arcum uergunt, dig-
nas duximus quæ posteritati mandarentur, haud absurdum uisum est, quæ de
Hyperboreis traduntur, conscribere. Eorum qui ueteres similesq; fabulis hi-
storias scribunt, Hecataeus quidamq; alij oppositam Celtis iuxta Oceanū esse
in insulam haud multo Sicilia minorem pone Arcos tradunt: habitariq; ab his
qui Hyperborei, eo quod uento Boreæ sint admodū subditi, appellantur: in-
sulam uerò fertilem ac fructuosam, ut in qua fructus annui bis nascuntur. Fa-
bulantur Latonam in ea natam: unde & Apollo sibi præ cæteris dijs maximè
colitur. Esse quoq; eius insule homines ueluti quosdam Apollinis sacerdotes,
cuius laudes & hymnos quotidie in cantu celebrēt, summeq; eum honorent
deum. Præterea lucum ingentem, templumq; Apollinis forma rotunda egre-
gium, multisq; donis atq; ornamentis cumulatam. Vrbs ei sacra est, cuius in-
colas maiorī ex parte aiunt esse citharistas, continuèq; in templo sonare canen-
tes hymnos in Apollinis laudem, cantuq; eius gesta exornantes. Habent Hy-
perborei propriam linguam Græcis: sed Atheniensibus maximè Delijsq; so-
cietate ac beneuolentia iuncti sunt, à præcis temporibus cœpta. Etenim Græ-
cos quosdam dicunt cum ad Hyperboreos transissent, dona sumptuosa in tem-
plo apposuisse, Græcis literis inscripta. Eodem pacto ex Hyperboreis olim
Abatim uenisse in Græciam, amicitiamq; cum Delijs antea contractā firmas-
se. Ferunt in super lunam in hac insula uideri parum à terra distantem, ac terre
stres quosdam ueluti cumulos habentem in se manifestos. Dicunt quoq; eum
Deum per annos undeuiginti adire insulam, in quib; astrorum reuolutiones
perficiantur. Ob eam rem huiusmodi annorum tempus à Græcis Metonus
annus nominatur. Interea cithara sonare, psallereq; noctu continuo ab æqui-
noctio uernali usq; ad Pleiadum ortum Deus existimatur, uoluptati deditus.
Regiæ ciuitati imperant hic, temploq; præfunt ij, quos appellant Boreadas,
progenies Boreæ, quæ per genus recipit principatum.

DE ARABIA, DEQUE HIS QUAE
in ea sita esse fabulantur. Cap. XII.

Nunc ad reliquas Asiae partes, eas præsertim in quibus continetur Ara-
bia, transeundum. Ea inter Syriam Aegyptumq; sita, multis uarijsq; di-
stinguitur gentibus. Nam quæ uergunt ad Orientem partes, Arabes incolunt,
quos nominant Abateos, habitantes patriam tum desertam, tum in aquosam,
tum in paucis ferentem fructus. Ideoq; latrocinijs uicinis gentibus infesti sunt,
atq; inuicti bello. Qui regionem aquis carentem tenet, puteos effodiunt ex-
teris ignotos: quæ res hostium pericula depellit. Nam qui eos persequuntur,
f aut